

## DECRETS ET SOLUTIONS

---

### DUBIA CIRCA VALIDITATEM ORDINATIONIS

#### I

 TERETUR ordinatio presb. in qua Epus in secunda manuum impositione manus ad pectus junctas tenuit, postea vero ante pectus disjunctas.

Eminentissime Domine,

Episcopus N. N., accepta denuntiatione, seu potius consultatione super validitate ordinationis quorumdam Presbyterorum; ut in re tanti momenti securius procedat, rem integrum isti Sacrae Congregationi remittendam censuit, ab eaque dubii solutionem expectare.

Casus igitur est ut sequitur :

Pluribus abhinc annis, antequam Episcopus Orator hujus Dioecesis regimen et administrationem nactus esset, contigit ut statuto tempore generales ordines celebrarentur; cumque, ceteris ordinibus collatis, per ventum fuisse ad ordinationem Presbyterorum loco extentionis dexteræ manus super capita ordinandorum cum oratione Oremus Fratres Charissimi, etc., quae in Pontificali habentur, Pontifex involuntarie distractus, eamdem orationem recitatbat manibus ante pectus junctis; quod advertens unus ex adstantibus clericis, timens ne hoc officeret validitati ordinationis, cito occurrens reverenter disjunxit manus Pontificis, qui, manibus sic disjunctis ante pectus, praefatam orationem usque ad finem prosequutus est. Hoc supposito, dubitatur, et consequenter ab Episcopo oratore ex Sacra ista Congregatione humiliter quaeritur :

1. Utrum per extentionem manuum Episcopi ante pectus suppleri poterit in casu extensio dexteræ manus super capita ordinandorum; ac consequenter pro valida habenda sit ordinatio illorum candidatorum ?